



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 321/10/I

BEATISSIME PATER,

Ianuarius Pascarella, Episcopus Puteolanus, summa cum animi devotione, quae quidem sensus etiam aperit cleri et christifidelium suae pastoralis curae commissorum, humiliter et laetanter Sanctitati Tuae in notitiam refert: Ecclesiam Puteolanam die XXX proximi mensis Maii celebraturam esse MCML anniversarium, ex quo Sanctus Paulus, Apostolus gentium, ad Puteolim venit.

Fretus autem fiducia, recolens ingentia beneficia spiritalia quae Annus Paulinus christifidelibus nuper obtulit, et occasione sumpta a memorato anniversario die, Exc.mus Orator in animo habet indicere iubilares celebrationes in cathedrali templo necnon in variis ecclesiis a die XXX Maii MMX usque ad diem XXX Maii MMXI peragendas, ita ut sacramentorum recipiendorum apta cum praeparatione opportunitas quam largissime offeratur, opera fraternae supernaturalis caritatis instimulentur, et hac ratione sive in singulis christifidelibus, sive in variis coetibus dioecesanae communitatis, renovatio spiritalis per Annum Paulinum inducta, gratia Dei, mire roboretur et prorogetur.

Huic valde desiderato fini consequendo, apprime iuvabit donum Sacrarum Indulgentiarum quod, exinde, fiducialiter postulatur, testimonium et argumentum paternae benevolentiae Sanctitatis Tuae, et incitamentum ut solidetur in tota dioecesi hierarchicum et filiale vinculum erga eandem Sanctitatem Tuam et erga proprium Sacrorum Antistitem. Et Deus, etc.

Die XXIX Aprilis MMX

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, vi facultatum sibi a Summo Pontifice tributarum, *plenariam* libenter concedit *Indulgentiam*, suetis condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et orationem ad mentem Summi Pontificis) rite adimpletis, a christifidelibus vere paenitentibus lucranda, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si cathedralem ecclesiam Puteolanam vel aliud iubilare templum in forma peregrinationis inviserint, et ibi alicui sacro ritui vel pio exercitio in honorem Sancti Pauli peracto devote interfuerint, vel saltem per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Fidei Symbolo atque invocationibus Beatae Mariae Virginis et Sancti Pauli.

Senes, infirmi, omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter *plenariam* consequi valebunt *Indulgentiam*, concepta detestatione cuiusque peccati, et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubilariis celebrationibus vel peregrinationibus se spiritaliter adiunxerint, suis precibus ac doloribus misericordi Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, in iubilariis templis prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeant.

Praesenti pro hac vice tantum valituro. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

f. Baldeelli

† FORTUNATUS BALDELLI

Archiep. Tit. Mevaniensis, *Paenitentarius Maior*

+ Ioannes Franciscus Girotti, O.F.M. Conv.
† Ioannes Franciscus Girotti, O. F. M. Conv.
Ep. Tit. Metensis, *Regens*



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 322/10/I

DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Benedicto Divina Providentia Papa XVI tributarum, Excellentissimo ac Reverendissimo Patri Domino **Ianuario Pascarella, Episcopo Puteolano**, vel de eius consensu alii Praelato cardinalitia vel episcopali dignitate insignito, benigne concedit ut, occasione MCML anniversarii, ex quo Paulus Apostolus ad Puteolim venit, die in utilitatem fidelium eligendo, post litatum divinum Sacrificium, impertiat omnibus christifidelibus adstantibus, qui, animo omnino elongato ab affectu peccati, iisdem sacris interfuerint, *papalem Benedictionem cum adnexa plenaria Indulgentia*, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et Oratione ad mentem Summi Pontificis) lucranda.

Christifideles qui *papalem Benedictionem* devote acceperint, etsi, rationabili circumstantia, sacris ritibus physice non adfuerint, dummodo ritus ipsos, dum peraguntur, ope instrumenti televisifici vel radiophonici propagatos pia mentis intentione secuti fuerint, *plenariam Indulgentiam*, ad normam iuris, consequi valebunt.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiariae Apostolicae, die XXIX mensis Aprilis, anno Dominicae Incarnationis MMX.



F. Baldelli

† FORTUNATUS BALDELLI

Archiepiscopus Paenitentiaris Maior

Ioannes Franciscus Girotti

† Ioannes Franciscus Girotti, O. F. M. Conv.

Ep. Tit. Metensis, Regens